


lateris angulum rectum respicientis potentiam, ortogoniorum autem genera duo sunt aut quod duo latera habet æqualia & Isocelem vocat ex vi nominis, aut omnia latera habet inæqualia quod scalenum appellat; his igitur dimetitur corporum ambituum prout vnum quodque corpus in vniuersa superficie potest in trigonos distribui, circa quod sciendum est vt in præfenti figura pater vnum-



quemque trigonum non orthogonium in sex orthogonios resolui cum igitur pyramis contineat 4. trigonos continebit 24. orthogonios, octoedron quantum continet 8. trigonos æquilateros continebit 48. orthogonios. Icoedron quantum 20. trigonos continet habebit 120. orthogonios cubi autem superficies in 4. trigonos orthogonios & duorum laterum æqualium distribuitur quare in 24. trigonos partietur, duodecedron autem ex omni superficie in 5. trigonos non orthogonios sed bene duorum laterum æqualium diuiditur æquales quæ inuicem hoc enim supponitur in omni diuisione vt areæ trigonorum partialium inuicem sint æquales.


Cum igitur vnusquisque ex his trigonis in 6. orthogonios licet non omnino æquales diuidatur erunt in omni pentagono 30. orthogonij trigoni quare in duodecedro 360.

|           |     |
|-----------|-----|
| Pyramis   | 24  |
| Octoedron | 48  |
| Cubus     | 24  |
| Icoedron  | 120 |
| Duocedron | 360 |

erunt trigoni orthogonij, ad instar graduum ob quod etiam duodecedrum celo configuratum est summa igitur horum trigonorum est 576. estque hic numerus tanquam mundi anima cuius radix est 24. qui numerus terre pro infimis igni pro supremis tribuitur tot enim trigonis & pyramis & cubus est sed quia vt dictum est cubi trigoni ysoceles sunt ideo etiam conuenientius vim fundamenti sumpserunt quamobrem erit vniuersa terra quæ cubo representatur tanquam fundamentum vnde etiam à theologis scabellum pedum Dei ab Astrologis mundi centrum à Philosophis medium appellatur, erit igitur quod ad elementa continue quantitatis attinet mundi anima 576. ac eius radix 24. quia ex illis tanta proportione constitutus est vt nec maximus liber horum numerorum admirabiles proprietates capere posset, est autem & in compositione numeri partium qui narij perfectio quantum hic dimidius est denarij perfectissimi atque in eo, & naturæ & dimensionis partes ac principia compleuisse videtur.

Porro quod ad discretum attinet genus ex minimis perfectissimisque componitur porro inter minimas Figuras triangulus est inter numeros vnitas duplam igitur ex vno latere constitue proportionem vtpote mi-

nimam paremque & triplam ex altero minimam imparem si igitur quatuor terminos vtrinque perfecteris fient ex dupla 1. 2. 4. 8. ex tripla 1. 3. 9. 27. in quibus præter cætera tres perfectiones maximè continentur Prima est quantum vtrinque quaternario numeri constant qui numerus est perfectissimus tum quia eius progressionem denarius perficitur tum quia elementa quatuor sunt & totidem primæ qualitates quadrata enim propositio temperatior est nec dispar nec nimis contracta nec exuperans nam solus 4. ex suis medietatibus producit nam 2. in 2. faciunt 4. & 2. cum 2. faciunt 4.



& hoc nulli alteri ex omni infinita numerorum serie conuenit igitur termini perfecti sunt est & perfectio agregatinam septenarium omnes implent 1. 2. 4. 8. 3. 9. 27. verum septenarius ipse perfectus est numerumque refert Planetarum ita etiam sacer apud leges est hic numerus & faustus sed tertia perfectio impletur exactis quatuor dimensionum principiis vnitate quæ punctum quasi indiuisibilem refert dualitate quæ lineam cuius termini sunt duo puncta de re-cta loquor & quaternario qui quadratum & superficiem Et octonario qui cubum refert quantum tot solidis angulis constat idem & in serie imparium ternarius lineam nouenarius superficiem 27. cubum significat porro inter 27. & 8. continue proportionalia cadunt 12. & 18. vt ita trigonus vnde quaque constet ex numeris continue proportionalibus cuius tres apices omnes quasi firmiores solidi sunt 1. 8. 27. tota etiam ipsa basis solida est nam 8. 12. 18. 27. omnes solidi sunt igitur constat hic nihil nisi apprimè perfectum esse omnes autem numeri nouenarium aggregant vt triplicata triplex perfectio videretur nouem, igitur numeros 9. Sphæræ Cœlestes coequare videntur quod tamen Platoni defuit cuius tempore tantum octo cognita fuerant sic igitur mundi anima hoc perfectissimo trigono erit constituta cum igitur duxeris numeros vnus lateris fient 64. ex alio aut. 719. ex tertio latere 46656. quo perfecto numero non 36000. vt plato existimabat mundus finem accipiet expleta basis potestate, ducto enim 27. in 18. & producto in 12. & reliquo in 8. fiet numerus reuolutionis stellarum 46656. licet Alphonus ob motus tarditatem 49000. annos crediderit in 46656. igitur annis mundus ab initio secundum hanc Platonis constitutionem finem habebit, porro mutationes totidem quot in singulis firmas quidem & fixas in cubis inferiorum videlicet maximam in 19683. annis qui est cubus 27. mediocrem in 5832. annis quod spatium cataclisma aut